

1606 num consilio antea perperdendam esse . Paulus , qui dum ad Valerium ventum esset , ne verbum quidem enuntiaverat , ad eum conversus , exacte rem discussam excellentiumque virorum judicio exploratam , minimeque ambiguam esse , inquit . Neque dubium plerique arbitrati sunt , quin , si aliqui auctoritate ac virtute in Purpuratorum numero præstantes libere atque ex animo sententiam dixissent , temporis mora injecta , imminens jam malum avertere potuissent ; cum certum sit , nonnullos doctrinæ uirtutisque opinione eminentiores secus antea iis de rebus sentire non obscuris verbis significasse ; in quorum numero Cæsar Baronius fuit , qui cum antea cum Nanio oratore Pontificis impetum detestatus esset , neque cum Veneta Republica , cuius cum sede Apostolica conjunctione , Italæ libertas ac dignitas staret , ita agendum , dixisset ; mutata sententia , Pauli factum adeo extulit , ut eo facto inter cælites adnumerandum censeret ; idque posterorum memoriarum in suis Annalibus traditum affirmaret .

Cæsar Bar-
ronius Car-
din. Pont.
impetur
detestatur.

Cæsaris
Baronii sen-
tentia mu-
tatio.

Diploma-
tis contra
Venetos pro-
mulgati sen-
tentia .

Edictum itaque promulgatur , in signoribusque urbis partibus affigitur . Multa ab incondita plebe in Venetum nomen probra ac maledicta jactantur . Summa diplomatis hæc erat : *Ni leges abrogentur , ni clerici remittantur , post elapsos quatuor ac viginti dies , Ducem ac Senatum excommunicatos pronuntiare ; aliis vero tribus transactis , imperium omne Venetum interdicto ecclesiastico subdere .* Nova adeo ea res , atque inexpectata plerisque visa , ut vix sibi suaderi potuissent , tot armis undique circumsepta christiana republika , Pontificem levissimis de causis incendium in Italæ visceribus excitare velle . Non deerant qui dicerent , nunquam propenso in Venetos animo Paulum extitisse ; cardinalicio galero fulgentem de Reipublicæ legibus moribusque obloquutum ; primis initis pontificatus diebus cum a Decemvirum Collegio , ut ab exilio Annibalem Gambaram Brixiensem , familiarem suum , revocaret , petiisset , neque impetrasset , ægre admodum tulisse ; ut opeum Senatus Pannonicæ bello exhiberet , per Offredum Nuntium , perque literas petenti minime satisfactum . Inde , ut Franciscus Vendrame-nus , Venetiarum Antistes a Senatu designatus , Romæ exami-

nan-